IRIMBERTUS ADMONTENSIS
Admont, um 1175
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25874
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Secreverunt: Cedes in galilea montis neptalim. et sichem in monte effraim. et cariatharbe: ipsa est ebron in monte iuda. transiordanem contra orientalem plagam iericho. statuerunt bosor que sita est in campestri solitudine de tribu ruben. et ramoth in galaad de tribu gad. et gaulon in basan de tribu manasse. Hec ciuitates constitute sunt cunctis filiis israel. et aduenis qui habitabant inter eos. ut fugeret ad eas qui animam nesciens percussisset. et non moreretur in manu proximi. effusum sanguinem uindicaret cupientis. donec staret ante populum expositurus causam suam.

Cedes in galilea decernunt. quia scipphete. et apostoli conditores utriusque testamenti. in utroque testamento penitentie remedia prescribunt. Cedes sancta. uel mutata dicitur. per quam initium conuersionis exprimitur. qua uita immutatur. et immutata sanctificatur. Cedes in galilea esse memoratur. quae facta transmigratio interpretatur. quia in conuersione uite de uitiis ad uirtutes transmigratur. Cedes montis neptalim esse scribitur. quae implicuit me dicit. quia per initium conuersionis homo temptationum laqueis inuoluitur. sicut salemon loquitur. filii accedens ad seruitutem dei sta in timore. et prepara animam tuam ad temptationem. Sichem humeri uel labor dicitur. per quam probatio temptationis exprimitur. que pondere ieiuniorum et uigiliarum. nec non laborum corporalium cumulatur. Sichem in monte esse scribitur effraym. qui frugifer uel crescens dicitur. quia probatio temptationis. ad perfectionis extenditur. quae per montem effraym exprimitur. Cariatharbe ciuitas quatuor interpretatur. per quam pseudoprophetia figuratur. quae initio conuersionis in medietate probationis. et profectui perfectionis. quarto loco associatur. Ipsa est ebron. quae coniugium dicitur. qua qui adheret domino. unus cum eo spiritus efficitur. Ebron in monte iuda esse scribitur. quae confessio dicitur. de qua apostolus loquitur. Omnia quecunque facetis in uerbo aut in opere. omnia in gloriam dei facite. De his quatuor psalmista dicit. Tunc acceptabis sacrificium iustitie. oblationes et holocausta. tunc imponent super altare tuum uitulos. Cedes enim est sacrificium contritionis. sichem sunt oblationes pietatis. mons effraym sunt holocausta perfectionis. ebron uel mons iuda sunt uituli laudis. Qui super altare imponuntur. cum xpo consensus omnis in cruce configuntur. De quibus uitulis osee propheta deo dicit. Omne auferas nobis iniquitatem. et reddemus uitulos labiorum nostrorum. Secundum.

Transiordanem contra orientalem plagam iericho bosor statuerunt. illi ipsi qui cedes in galilea. qui sichem in monte effraym. qui ebron in monte iuda decreuerunt. Bosor statuitur. que in angustia dicitur. cum continentia propositum arripitur. quod magna carnis angustia patitur. quia spiritus quidem promptus est. caro autem infirma. Bosor transiordanem statuitur. per quem conuersio uite exprimitur. quia in eo xpi baptismi lauacro tinguntur. Contra orientale plagam iericho. que odor eius dicitur. quia per expassam sancti spiritus gratiam que per orientale plagam exprimitur. odor ille bone conuersationis nascitur. de quo apostolus fidelibus loquitur. Xpi bonus odor sumus deo. in omni loco. Bosor in campestri solitudine sita esse describitur. quia continentie propositum. quod ieiuniorum et uigiliarum siccitate patitur. que per solitudinem exprimitur. magna uirtutum latitudine et com